

adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem, aut commoditatem facere, ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, sive alias consilium, auxilium, vel favorem palam aut in occulto, directe aut indirecte, per se vel per alios quoquo modo praestare, nec non alios hortari, inducere, provocare, aut suadere, ut hujusmodi societatibus adscribantur, anumerentur, seu intersint, vel ipsas quomodolibet juvent ac foveant, sed omnino ab iisdem societatibus, coetibus, conventibus, collectionibus, aggregationibus, seu conventiculis prorsus abstinere se debeant.

Excommunicationes in Bulla Coenae.

- „Haeresis, et sparsi per libros lectio virus,
- „Quae jus, quaeque favor vetuit pedagia, causae
- „Personaeque sacrae discussae a judice vano,
- „Lex Clero adversans, falsaque insignia Bullae
- „Fortiter adstringunt supremae vincula Coenae.

Excommunicationes aliae Papae reservatae.

- „Fur templo effracto, vel judicis ore cremator,
- „Participans noxam, veniae nec foedera servans,
- „Dans sacra vitandis, Papae interdicta recusans,
- „Re vel spe Simon, subiensque, juvansque duellum,
- „Invadensque loco canonis sive aegyde tutos,
- „Crimine non poterit quovis a judice solvi.

Excommunicationes non reservatae.

- „Cognatum dicens, vetitum tellure recondens,
- „Extorquens veniam, curans viventis abortum,
- „Ad juga, vel sacra vota trahens, retrahensque puellam
- „Judex, conventus hominum vitare jubetur.
- „N.B. Quibus tamen successive accessere aliae, et aliae.

Casus reservati Episcopis juxta cuiuscumque libitum.

- „Qui facit incestum, deflorans, aut homicida,
- „Transgressor voti, perjurus, sortilegusque,
- „Sacrilegus, patrum percussor, vel sodomita,
- „Et mentita fides, faciens incendia, prolis
- „Oppressor, blasphemus, haereticus, omnis adulter,
- „Pontificem super his adeat, Clerum fieriensque.

Idem casus hisce quatuor carminibus sunt etiam contenti:

- Haeretici, appellans, latroque, pedagia, falsans
- Ferrum, annonam, venit Romam cum cardine, causas,
- Usurpas, statuis, decimas, capitalia avertis,
- Atque peregrinos, terras, capias, ipseque solvens.

Horum fusiorem explicationem vide in Rituali Romano, sive Agenda. De his nota 1. universaliter, quod nullus casus Pontifici sit reservatus, nisi ratione annexae censurae excommunicationis; proinde omnis casus Papae reservatus habet sibi annexam hanc censuram.

Nota 2. Cum nullum utique peccatum sit reservatum, sive a Papa reservetur, nisi ratione excommunicationis annexae, vel suspensionis, ut ignorantia juxta Theologos plerosque excusat ab incursione censurae ecclesiasticae, excusabit etiam ab incursione reservationis papalis, ideoque nullus incurrit casum reservatum, nisi scienter.

§. IV. *De suspensione.*

1432. *Principium I.* *Suspensio est censura ecclesiastica, qua Clerico ad tempus prohibetur exercitium sui officii, vel perceptio fructuum sui beneficii, vel utrumque simul, idque vel ex toto, vel ex parte.* Alii brevis sic: *Suspensio est censura, per quam persona ecclesiastica impeditur aliqua potestate, aut jure ecclesiastico.* Laymann L. 1. t. 5. p. 3. c. 1. *Dixi 1. Censura, sic convenit cum excommunicatione et interdicto;* differt ab irregularitate, degradatione, et depositione, quae non sunt medicinales poenae; differt etiam a quadam alia specie suspensionis, de qua fit mention in c. *Cum in cunctis, de electione, quae ut mera poena imponitur, et subinde est perpetua: suspensio autem proprie ut medicinalis debet fieri ad tempus per modum monitionis, ut desistat a contumacia; regulariter etiam debet fieri in scripto. Si feratur verbaliter, aut pure ad puniendum delictum praeteritum, aut in perpetuum, non est proprie censura, ideoque in ea exercens functiones ordinis, peccat quidem, sed non incurrit irregularitatem.*

Suspensio primo alia est totalis simpliciter, quae simul est ab officio et beneficio, sive qua Clericus ab omni exercitio officii tum ordinis, tum jurisdictionis, et ab omni fructuum perceptione ad tempus prohibetur, quamvis non admittatur potestas ipsa, nec titulus beneficii. Alia *localis secundum quid est, qua Clericus vel tantum prohibetur ab exercitio officii, vel tantum a perceptione fructuum ex beneficio.* Hane subdividit Laym. iterum in totalem et partialem. *Suspensio totalis ab officio est, per quam Clericus ab omni spirituali officio tum ordinis, tum jurisdictionis, et ecclesiasticae administrationis impeditur.* Sic Sacerdos suspensus prohibetur celebrare Missam, sacramentaliter absolvere, ministrare extremam Unctionem, solemniter baptizare etc., quamvis instar laici possit interesse sacris officiis, cum aliis orare, sacrificanti ministrare, in necessitate baptizare etc. *Suspensio totalis a beneficio est, per quam Clericus ab omni beneficio ecclesiastico quoad ejus administrationem, et fructuum perceptionem ad tempus suspenditur.* *Partialis suspensio ab officio vel est ab ordine tantum, aut ab aliquo actu ordinis, v. gr. a celebratione Missarum, actu ordinandi etc., vel a jurisdictione tantum, aut certo actu jurisdictionis, v. g. a collatione beneficii, a ferenda censura, voce suffragii etc.* *Partialis suspensio a beneficio respicit vel certum beneficium tantum, vel partem beneficii.* Praeterea suspensio alia est *latae sententiae, quae ipso facto per jus infligitur; alia ferendae, quae supposito facto per sententiam judicis infligitur.* Denique alia est a jure, alia lata ab homine.

1433. *Principium II.* *Quicumque excommunicationis censuram ferre potest, idem et suspensionis.* Omnes autem et soli Clerici, praeter Papam, suspensionis censuram incurrire possunt. *Henriquez contra plerosque existimat, etiam in Abbatissam cadere posse suspensionem.* Vide Laymann l. cit. c. 2. n. 1. et 2. Effectus suspensionis sunt: I. Suspensus etiam occultus exercendo actum, a quo est suspensus, peccat mortaliter, nisi ignorantia invincibilis aut necessitas excusat. II. Suspensus a functionibus sacri ordinis (non autem tantum minoris, et non sacri) eas exercendo non tantum peccat, sed etiam fit irregularis ob violatam censuram, ut arg. ex c. 1. de sent. et re judic. in 6. Praeterea tales actus ordinis a jurisdictione non pendentes sunt validi, v. g. si suspensus baptizet, consecret etc., quia Ecclesia non potest tollere potestatem ordinis, sed tantum illius exercitium prohibere; actus vero jurisdictionis, v. g. absolutio a peccatis, sunt invalidi, si suspensus sit nominatim denuntiatus, quia privatur actuali

jurisdictione; validi autem sunt, si non sit denuntiatus, ut probat *P. Antoine*, ex Constitut. Martini V. *Ad evitanda*. Et ratio est, quia Ecclesia hoc ipso, quod tolerat suspensum, ei non adimit jurisdictionem, idque in bonum fidelium. III. Suspensus a beneficio, etsi sit occultus, privatur omnibus sui beneficii fructibus (pars fructuum etiam censentur distributiones quotidiana), ita ut eos licite non possit percipere, et perceptos teneatur restituere ante omnem sententiam; censura enim impedit eorum acquisitionem: ergo ad eum non pertinent, etiamsi accipiat, ergo nec eos retinere potest, quia ipsius non sunt. Tenetur nihilominus. Beneficiatus suspensus recitat horas canonicas privatim, et alia onera beneficij praestare, quia hae obligationes annexae sunt beneficio quod retinet. IV. Suspensus illicite beneficium novum reciperet, et illicite ei conferretur, ita ut collatio saltem veniat irritanda; quia ad susceptionem eorum eligetur, a quorum perceptione est privatus, ut colligitur ex c. *Si celebrat*, ult. de Clerico excommunicato.

1434. *Principium III.* Suspensio ipso jure incurrit in casibus sequentibus saltem usitatoribus. Juxta *P. Antoine* tr. de cens. c. 4. de suspens. q. 4., ab executione ordinum suspensus est I. qui ordines sacros recipit vel ab alieno Episcopo sine dimissoriis (juxta *Trid. sess. 14* c. 2. de reform.) vel a proprio in aliena dioecesi absque expressa licentia Ordinarii loci illius (juxta *Trid. sess. 6*. c. 5. de reform.) vel titulo conficto, vel absque omni titulo, vel per saltum, vel in censura, vel extra tempora a jure statuta, vel ante legitimam actatem sine dispensatione (juxta extrav. *Cum ex sacrorum*, et juxta extrav. *Sanctum et salutare*) vel post matrimonium contractum, licet non consummatum. Item qui furtive ordinatur, hoc est, qui non approbatus inter ordinandos irrepit. II. Qui eodem die duos sacros ordines recipit, juxta c. *Litteras*, de tempor. ordin. III. Ordinans et ordinatus simoniace est suspensus ab ordinibus praeter alias graviores poenas. IV. Juxta decretum *Trid. sess. 24* de reform. matrimon. c. 1. *Si quis parochus, vel alius sacerdos, sive regularis, sive saecularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos sine illorum parochi licentia conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.* Hanc suspensionem esse tantum ab officio et munere sacerdotali, asserit *Suar. contra Bonac.*, qui d. 3. q. 3. p. 5. num. 7. ait, eam esse ab officio et beneficio, quia absolute fertur. V. Ex c. *Nullus Episcopus*, de consecrat. dist. 1. Sacerdos abrum-pens sacrificium sine justa causa, ut ab alio Missarum solemnia suppleantur, a sacro Corpore et Sanguine Domini nostri Jesu Christi, hoc est, ab officio celebrandi suspenditur, ut explicat *Palao* p. 4. tr. 29. d. 4. pun. 10. §. 2. n. 5. VI. Suspenditur ab executione ordinis, qui excommunicatione majore ligatus ob Clerici percussionem ordinem aliquem suscipit, ex c. *Cum illorum*, de sent. excomm. Reliquas suspensiones, et forte singulas videre licet a *Palao* collectas l. c. a §. 1. usque ad punct. XI. Integrum quoque catalogum excommunicationum tum reservatarum, tum non reservatarum, item catalogum suspensionum 1. contra Episcopos, 2. contra Capitula et communites, 3. contra Clericos privatos et singulares, 4. contra regulares, Praelatos et subditos latarum tradit *P. Picher* L. 5. Decret. tit. 39. a. n. 17. De regularibus sufficiat sequentes expresse hic addere, quod suspensionem incurant, qui confidentibus non faciunt conscientiam de solvendis decimis. Clement. *Cupientes*, de poenis. Item qui non defuerunt habitum a regula praescriptum. Clement. 1. de statu Monachorum.

Item qui faciunt apostasiam ab ordine, et in ea recipiunt ordines, c. fin. de apostat. Denique qui mulieres introducunt in clausuram monasteriorum. Bull. 20. *Pii V.*

Resolutio Casuum.

Zachaeus Canonicus, et simul Curatus ob certum delictum suspenditur ab audiendis confessionibus per semestre; nihilominus ille pergit quotidie celebrare, baptizare, et extra parochiam suam confessiones excipere. 1435. Q. I. An *Zachaeus* peccaverit celebrando, baptizando, extremum iungendo? R. Negative; quia non erat suspensus totaliter ab officio, sed tantum ab administratione sacramenti poenitentiae: ergo licite potuit alias officii sui functiones obire. Hinc observanda sunt sequentes regulæ. 1. Ut cognoscatur quousque prohibitio se extendat, consideranda sunt iverba, quibus fertur suspensio; quale quidem in hac materia odiosa strictae sunt interpretationis, sicut et aliae poenae, ac extendenda non sunt ultra verborum proprietatem. Si tamen suspensio feratur simpliciter et indistincte, intelligi debet suspensio ab officio et beneficio; nam locutione indistincta aequivalet universalis, et ex verbis prohibitionis nulla appetit limitatio. 2. Si suspensio ab officio absolute, et sine addita restrictione lata sit, intelligitur suspensio ab omni officio tam ordinis, quam jurisdictionis. 3. E contra suspensus ab officio non ideo suspensus est a beneficio, quia diversae sunt poenae suspensio ab officio, et suspensio a beneficio, et una executioni potest mandari sine altera; ergo sunt separabiles. Confirm. ex c. *A crapula*, 14. de vit. et honest. Cleric., ubi statuitur per particulam disjunctivam poenarum, ut Clericus crapulosus vel ebriosus monitus, et non desistens, ab officio vel beneficio suspendatur: unde suspensus simpliciter ab officio licite percipit fructus beneficii, modo per alium suppletat beneficii munera, quae ipse non potest exercere. Excipe eas distributiones, quae non conferuntur, nisi iis, qui per se ministrant. 4. Suspensus ab ordine simpliciter non ideo suspensus est a jurisdictione, nec e contra; quia ordo est distinctus a jurisdictione. Plura apud *Palao* l. c. §. 1. et 2., *Laym.* l. cit. c. 1., *Henriquez* et alios.

1436. Q. II. An *Zachaeus* extra suam parochiam licite et valide exceperit confessiones? R. Nec licite, nec valide: quia *Zachaeus* erat suspensus nominatim denuntiatus; ergo per legitimam suspensionem jurisdictione actuali privatus est: neque suspensio afficit locum, sed personam immediate; ergo ubicumque illa existat, manet ligata, donec absolvatur legitimate. *Laym.* l. c. cum *Abbat. Ugolino* et aliis. Secus est de beneficiato, qui habet beneficia in diversis dioecesibus; hic enim si suspendatur a beneficio ab Episcopo hujus dioecesis, non censemur suspensus a beneficio, quod habet in alia dioecesi, quia sententia poenalis eo non se extendit.

1437. Q. III. An fideles teneantur vitare suspensum denuntiatum? R. Vi censurae non tenentur suspensum vitare, quia id nullo jure caustum est: lex tamen charitatis exigit, ut Clericus ab officio suspensus sine causa non inducatur v. g. ad celebrandum, quando is sine peccato et irregularitate celebrare nequit. Si vero justa causa subsit a suspenso non denunciato sacrificium petendi, tunc is sine peccato satisfacere petitioni potest. *Laym.* loc. cit. cum *Coninck*.

1438. Q. IV. A quo, et quomodo suspensio tolli possit? R. ad pri-mum. Ordinariam potestatem tollendi omnes suspensiones absque dubio habet Summus Pontifex. Jure novo *Trid. sess. 24*. c. 6. de reform.: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, et excep-*

tis alii deductis ad forum contentiosum, dispensare, et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in dioecesi sua per se ipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Quod ibidem additur de potestate absolvendi ab haeresis criminis in foro conscientiae, revocatum esse per Bullam Coenae, eruditus declarat Benedictus XIV. L. 7. de Synod. c. 32. et 33., de quo infra n. 1489. Porro de suspensionibus reservatis non possunt absolvere, nisi qui speciali gaudent privilegio, quale concessum est plerisque Ordinibus Religiosorum, teste Krimmer L. 5. n. 203., ita ut ab omni suspensione possint absolvere in foro conscientiae. Simili privilegio gaudet Societas Jesu vi Bullae Pauli III. Cum inter.

1439. R. ad secundum. De formula absolvendi a suspensione vide n. 696. In genere autem tribus modis tollitur suspensio, scilicet 1. si suspensio absolute, et sine determinatione temporis inficta sit ob contumaciam, tollitur per solam absolutionem, vel ab eo, qui infixit hanc censuram, vel ab alio, qui habet delegatam potestatem aut speciale facultatem. 2. Si autem lata fuerit ad certum tempus, v. g. ad sex menses, vel sub conditione, v. g. si creditori satisficerit, suspensio cessat per se ipsam, transacto tempore vel conditione impleta. 3. Si vero imposta sit in perpetuum ob culpam praeteritam tanquam mera poena, solum tollitur per dispensationem Praelati, vel ejus Delegati, quia tunc non est censura. si vero lata sit sine expressione, ut perpetuo duret, juxta Laym. I. c. 4. n. 3, probabiliter tolli potest ab Episcopo, nisi Papa sibi specialiter reservaverit. Praecipue hic observandum, quod ante absolutionem a censura suspensionis exigenda sit satisfactio, vel cautio satisfaciendi parti laesae: *imo in criminibus enormibus exigendum juramentum parendi Ecclesiae.*

QUAESTIO INCIDENS.

Quid sit Depositio, ac Degradatio.

1440. R. 1. *Depositio* in genere est duplex: *verbalis*, sive simpliciter talis, et *realis*. *Verbalis*, prout specifice hic accipitur, est poena ecclesiastica, per quam persona ecclesiastica ob enorme crimen ab ordine, vel a jurisdictione, vel a beneficio, vel ab officio et beneficio simul per sententiam sola voce prolatam removetur in perpetuum, ita tamen ut non privet privilegio fori et canonis. Quodnam crimen sufficienter enorme sit censendum partim ex sacris canonibus desumendum, partim prudentis judicis sententiae relinquuntur determinandum. Inter enormia communiter recensentur, furtum, homicidium, perjurium, violentum stuprum virginis, incestus, adulterium, sodomia, crimen haeresis manifestum, gravis calumnia proprio Episc. irrogata etc.

1441. R. 2. *Degradatio*, sive *depositio realis* est poena ecclesiastica, qua Clericus propter criminis atrocitatem solemniter et authentice non tantum ordine, beneficio, et officio (ut fit per depositionem totalem); sed etiam privilegio fori et canonis privatur, ita ut degradatus instar laici a saeculari potestate incarcерari, condemnari, et secundum leges civiles puniri possit, atque percuti absque periculo excommunicationis: sic differt a depositione simpliciter tali. *Depositio* autem a suspensione distinguitur, quia suspensio tanquam censura de se non est perpetua, cum sit medicinalis; convenit autem cum suspensione improprie tali, quae si sit perpetua, proprie non est medicinalis, sed mera poena.

Solemnitas degradationis a Trid. sess. 13. c. 4. de reform. atque a

Pontificali Romano ita praescribitur. *Degradandus sacris vestibus, ordinis suscepto congruis induitur, deinde adducitur ad Episcopum, a quo in praesentia aliorum Episcoporum vel Abbatum (vel in horum defectu aliorum in dignitate ecclesiastica constitutorum) et Judicis saecularis, singula ordinum susceptorum insignia, incipiendo ab eo, quod in ultima ordinatione ultimo loco traditum erat, usque ad insigne primae tonsurae, scilicet superpelliceum, eidem auferuntur: tum raditur caput, ut nullum accepti clericatus signum appareat. Episcopus subjungit haec verba: *Auctoritate Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ac nostra auferimus tibi habitum clericalem, et deponimus, degradamus, spoliamus, et eximus te omni ordine, beneficio, et privilegio clericali.* Deinde degradatus traditur judici saeculari, praevia tamen intercessione interposita, ut is mitiorem, quam mortis poenam imponat, ne iudex ecclesiasticus videatur desiderare mortem degradati, quamvis forte re ipsa traditus morte postea non liberetur a iudice saeculari. Haec degradatio realis est actus ordinis Episcopalium, ideoque fieri non potest, nisi ab Episcopo consecrato, licet sententia degradationis, sive depositio verbalis sit actus jurisdictionis tantum, ideoque haec ab Episcopo non consecrato, a Capitulo, sede vacante, et a Vicario Generali ex speciali mandato fieri potest.*

§. V. De Interdicto.

1442. *Principium* I. Interdictum est censura ecclesiastica a jure vel homine lata aut ferenda, per quam prohibetur celebratio publica, et auditio omnium officiorum divinorum, usus quorundam sacramentorum, et ecclesiasticae sepulturae: ita desumitur ex c. *Non est vobis.* 11. de sponsal. item ex c. *Quod in te.* de poenit. et remiss. Differt ab excommunicatione, quia privat paucioribus bonis, quam excommunicatione, et sacris tantum, non autem politicis et civilibus. Differt quoque a suspensione, tum quia privat sepultura ecclesiastica, tum quia etiam laicos afficit, non vero suspensio.

1443. Interdictum dividitur in *Locale*, *Personale*, et *Mixtum*. *Locale* est, quod immediate afficit locum, prohibendo, ne in eo officia divina et sacra fiant. *Personale* est, quod immediate fertur in personam, ei prohibendo divinorum officiorum exercitium, et participationem, ubicumque existat. *Mixtum* est, quod immediate afficit et locum, et personas. Differunt interdictum locale et personale inter se; quod per locale prohibeatur tum indigenis, tum alienigenis exercitium, et participatio sacrorum officiorum non quidem absolute, sed tantum in loco interdicto: at vi personalis interdicti prohibetur certis personis, vel toti communitati dicta participatio et exercitium absolute, atque in omni loco. Laym. L. 1. t. 5. p. 4. c. 1. n. 2.

Porro utrumque hoc interdictum subdividitur in generale, et particularē. *Locale generale* est, quod fertur in locum generalem, plura loca sub se continentem, uti est regnum, provincia, civitas, dioecesis, parochia, villa, castrum, juxta c. *In partibus*, de verb. signif. *Particulare locale* est, quo interdicuntur certus locus sacer, v. g. determinata Ecclesia parochialis, quo nomine etiam comprehenduntur Capellae, et coemetaria contigua, quemadmodum nomine civitatis etiam suburbia comprehenduntur, licet pertineant ad jurisdictionem alterius, ut patet ex cap. *Si civitas.* 17. de sentent. excommun. in 6. Hinc si civitas in interdicto sit, neque intra, neque extra civitatis Ecclesias divina officia celebrare licet: si vero civitatis Ecclesia una, vel plures determinatae in interdicto sint, licitum est extra determinatas Ecclesias, vel in privatis oratoriis divina officia cele-

brare. Laym. l. c. Generale personale est, quod fertur in totam aliquam Communatem, Collegium, Capitulum, ex pluribus personis constans; hoc interdicto comprehenduntur omnes personae regni vel civitatis, tanquam membra et partes, etiam innocentes, prout constituant unum corpus, nisi innocentes speciali privilegio eximantur. Unde si quis desinat esse membrum communitatis interdictae, v. g. per mutationem domicilii, non amplius subjacet interdicto. Particulare personale est, quo una vel plures personae determinatae, qua singulares, non qua membra communitatis, v. g. Episcopus, vel Consul civitatis, vel omnes ac singuli, qui tale facinus patrarent, vel auxilium attulerunt, etiamsi ignoti sint, interdicuntur. Porro illi interdicti solum vitandi sunt, qui nominatum et publice sunt denuntiati. Pichler L. 5. Decret. tit. 39. n. 46.

1444. Principium II. Effectus interdicti sunt sequentes: 1. Prohibitio celebrationis et auditionis divinorum officiorum; quo nomine comprehenditur imprimis Missae sacrificium, omnis publica ac solemnis comprecatio, publica recitatio horarum canonicarum in choro (nam privatim Clerici beneficiati vel in majoribus constituti in interdicto locali vel personali utique tenentur recitare horas canonicas) item benedictio publica aquae lustralis, olei, chrismatis, cereorum, templi, vasorum, altarium in Ecclesiae interdicto, quae benedictiones nomine Ecclesiae a sacerdotibus fiunt; non item aliae privatae benedictiones, v. g. mensae, personae etc.; licita tamen est concio. Limitata etiam est haec ampla prohibitio divinorum officiorum in c. Alma. de sent. excomm. in 6., ita ut tempore interdicti loci generalis (non autem in Ecclesia specialiter interdicta juxta Laym.) singularis diebus in Ecclesiis et Monasteriis Missae celebrentur, et alia dicantur divina officia, sicut prius, submissa tamen voce, et januis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, et campanis etiam non pulsatis. In festivitatibus vero Natalis Domini, Paschae ac Pentecostes, et Assumptionis Virginis gloriosae (item ex privilegio Martini V. festo Corporis Christi, et per ejus Octavam) campanae pulsentur, et januis apertis alta voce divina officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis; quibus ob reverentiam dictarum solemnitatum praefatis diebus participationem permittimus divinorum, sic tamen, quod illi, propter quorum excessum interdictum hujusmodi est prolatum, altari nullatenus appropinquent.

1445. Secundus effectus est prohibitio receptionis et administrationis quorumdam sacramentorum, scilicet Eucharistiae, Ordinis, et extremae Unctionis: moribundis tamen Eucharistia per modum Viatici tempore interdicti ministrari potest, juxta c. Quod in te, de poenit. et remiss. Imo juxta Laym. l. c. cap. 2. cum Suar. et Sà, eam licet ad aegrotos solemniter deportare cum lumine, campanula, et fidelium comitatu. Juxta eundem probabile est, licitum esse, illi infirmo extremam Unctionem tempore interdicti ministrare, qui aliud sacramentum recipere non potest; alias enim non licet, juxta cit. cap. Quod in te. De matrimonio non convenient doctores; juxta communiores tamen licite celebrari potest matrimonium sine nuptiarum benedictione, quia per interdictum et cessationem a divinis solum prohibetur participatio sacramentorum, quae sunt ex Ecclesiae dispensatione seu ministracione; ministri autem matrimonii sunt ipsi contrahentes: ergo. Ita Abbas in c. Non est. de sponsal. Sylv. V. Interdictum, Navar. Henr. Sanchez de matrim. L. 7. d. 8. contra Suarez. Excipiuntur etiam sacramenta Baptismi, Confirmationis, et Poenitentiae, quae etiam sanis conferri licet tempore interdicti, non tamen excommunicatis, nec iis, qui causam interdicto dedere, vel qui ad

perpetrandum delictum, ob quod interdictum prolatum est, praebuerunt auxilium, consilium, vel favorem, nisi prius satisficerent ob delictum, vel de satisfactione cautionem praestiterint, aut praestare juraverint. c. Alma, cit.

1446. Tertius effectus est prohibitio sepulturae ecclesiasticae, juxta cap. Quod in te, 11. de poenit. et remiss. In interdicto locali extenditur etiam ad infantes et amentes. Clerici autem, qui non sunt specialiter interdicti, nec interdictum illicita divinorum officiorum celebrationi violarunt, in loco sacro generaliter, non specialiter interdicto, sepeliri possunt sine campanarum pulsatione, in silentio, et cessantibus solemnitatibus omnibus. Laici vero, qui non sunt personaliter interdicti, nec causam culpabilem interdicto dederunt, sepeliri possunt in loco sacro non interdicto. Imo et personaliter quidem interdicti, sed non denuntiati; nam juxta c. Sane. 3. XXIV. q. 2. Quibus vivis communicavimus, mortuis quoque communicare possumus; interdictos autem personaliter non tenemur a divinis officiis, quae in loco non interdicto celebrantur, repellere, antequam denuncientur, ut constat ex extrav. Concilii Constantiensis, Ad evitanda: ergo. Denique qui ob interdictum sepultus est in loco profano, interdicto finito transferendus est in locum sacrum, modo non fuerit specialiter interdictus, nec causam interdicto dederit. Si vero interdictus illicite sit humatus in loco sacro, non est exhumandus, quia (ut ait Laym. l. c.) id nullibi statutum legimus.

1447. Pro resolutione casuum observa I. Ut obliget interdictum locale a jure latum, sive ut privet dictis bonis, requiritur cognitio et denunciatio Judicis Ecclesiastici, ut legitime constet, delictum, cui est annexum interdictum vere esse patratum, et nullus praetendere possit ignorantiam. Si interdictum sit personale, requiritur ut specialiter denuntientur personae, alias fideles eas non tenentur vitare. Pichler L. 5. Decret. tit. 39. n. 47.

1448. II. Interdictum 1. ferri potest in loca et personas singulares, 2. in communites qua tales (ut patet ex c. 11. de spons. item ex c. 16. de sent. excomm. in 6.), tota enim communitas est capax juris ad divina officia, sacramenta, et sacram sepulturam: ergo etiam hoc jure potest privari, igitur et interdici.

1449. III. Si sententia interdicti proferatur in Clerum, non intelligitur (nisi aliud sit expressum in ea) interdictus populus, nec etiam e converso. Ita c. 16. de sent. excomm. in 6. Episcopi autem nunquam consentur comprehendendi in interdicto personali generali, nisi expressa fiat eorum mentio; c. Quia periculosum 4. de sent. excommun. in 6. Neque peregrini et exteri, licet diu ibi habitent, ut mercatores, studiosi etc. quia in odiosis non habentur pro parte talis populi vel communitatis. Hi tamen comprehenduntur interdicto locali, c. 4. et 10. de privil. in 6.

1450. IV. Catalogum interdictorum tum localium, tum personalium generalium contra Universitates, et specialium contra personas singulares vide apud Pichler L. 5. Decret. tit. 39. in n. 17., latius apud Palao de censuris d. 5. punct. 8. §. 2.

1451. V. Poenae violentum interdictum sunt: 1. Hi peccant per se graviter, quia violent praecepsum Ecclesiae in re gravi, nisi excusat ignorantia, vel parvitas materiae. 2. Qui violat interdictum exercendo actum proprium ordinis, fit irregularis, c. 18. et 20. de sent. excomm. in 6. 3. Excommunicationem Papae reservatam incurruunt domini temporales loci interdicti, qui compellunt Clericos ad celebranda publice officia in loco interdicto, vel impedientes, ne publice excommunicati aut inter-

dicti exeant tempore officiorum, item ipsi interdicti non exeunt post monitionem. Clement. 2. de sent. excomm. 4. Qui interdictos extra casus concessos scienter in loco sacro sepelunt, contrahunt excommunicationem Episcopo reservatam. Clement. 1. de sepult. 5. Excommunicantur Religiosi etiam exempti, qui non servant interdictum locale latum a Papa, vel Ordinario, quando servatur a matrice Ecclesia, vel a parochiali loci, ubi habitant. Clement. 1. de sent. excomm.

1452. VI. Interdictum a jure latum tollitur per relaxationem seu absolutionem, et quidem si sit *locale*, vel *personale generale*, ab habente jurisdictionem Episcopalem in talem locum vel communitatem, quia hic solus habet jurisdictionem in foro externo in locum vel communitatem interdictam: ideoque nec Religiosi, qui alias gaudent privilegio absolvendi ab aliis censuris, tunc possunt absolvere, utpote quorum potestas ex privilegio se tantum extendit ad forum internum poenitentiae, cui nec locus, nec communitas subjicitur. Si vero interdictum sit *personale particulare et reservatum*, tollitur per se a Papa: ex privilegio autem, (si sit occultum, neque deductum ad forum contentiosum) ab Episcopo pro foro interno, item pro eodem foro a Religiosis Mendicantibus gaudentibus hoc privilegio; si non sit reservatum, tolli potest a quolibet Confessario, qui a mortalibus potest absolvere. Pichler l. c. n. 53. Denique interdictum sive locale, sive personale latum ab homine per sententiam specialem, tolli potest a solo Auctore, vel ejus Successore, vel Superiore, vel horum Delegato. Suar. d. 38. de censur. sect. 2. n. 2.

1453. Q. Quid sit *cessatio a divinis*, alias etiam suspensio organorum, vel laudis divinae? R. Est prohibitio ecclesiastica Clericis imposta, ut abstineant ab officiis divinis, et administratione sacramentorum in aliquo loco, in contestationem moeroris, et justae defensionis ob gravem aliquam injuriam Ecclesiae. Clericis aut honori divino illatam. Haec quidem eosdem ferme effectus habet (excepta sepultura sacra) quos interdictum; non tamen est censura, quia non est poena medicinalis; hinc licet ejus violatio sit graviter peccaminosa, non tamen inducit irregularitatem; c. 18. de sentent. excomm. in 6. Praeterea talis cessatio (juxta c. 8. in fine de officio ordin. in 6.) non debet durare ultra mensem; si enim intra mensem inter eum, qui indixit cessationem, et inter illum, qui per culpam suam huic poenae dedit causam, non fiat compositio, nec causa Romam ab iis fuerit delata, tunc per se desinit ista prohibitio.

ARTICULUS II. De Irregularitate.

§. I. Praenotanda de Irregularitate in genere.

1454. *Praenotandum I.* Irregularitas in genere est impedimentum canonicum, quo prohibetur ordinum susceptio et susceptorum exercitium. *Impedimentum* dicitur, quia proprie non est censura, aut poena medicinalis, sed inhabilitas statuta a sacris canonibus, tanquam impedimentum ad suscipiendos ordines, vel ad susceptos exercendos ob reverentiam sacro altaris ministerio debitam. Unde triplicem habet effectum irregularitas: 1. Illicita per eam, non vero invalida redditur ordinum susceptio. 2. Pariter illicitum, non tamen invalidum redditur exercitium ordinum susceptorum. Hinc graviter peccat, qui in irregularitate recipit vel exercet ordinem, quia violat praeceptum Ecclesiae in re gravi. Nomine ordinum etiam hic intelligitur prima tonsura, quatenus constituit hominem in statu clericali, et reddit capacem beneficii ac ordinis. 3. Irregularitas facit, ut collatio beneficii facta irregulari sit invalida; an autem sit

invalida ipso facto, ex jure certo non constat; ideoque multi cum Suarez et Coningk probabile esse affirmant, ejusmodi collationem illicitam quidem esse, et contra canones, ideoque irritandam, non tamen ipso jure irritam; secundum quam sententiam probabilem infert Busemb. quod is, qui beneficium impetravit in irregularitate, obtenta hujus dispensatione, illud in foro conscientiae licite possit retinere sine nova collatione; item si postea beneficio privetur, non teneatur fructus restituere. Alii vero juxta tutiorem asserunt, ejusmodi irregulararem teneri in conscientia resignare beneficium, si dispensatio non sit impetranda intra breve tempus, quia inconveniens videtur, ut is retineat beneficium, qui per se non potest ullum officium praestare.

1455. *Praenotandum II.* Irregularitas alia est ex *defectu*, alia ex *delicto*. Iterum alia est *totalis*, et proprie talis, quae omnium *ordinum* susceptionem et usum impedit. Alia *partialis*, quae aliquo tantum ordinis ministerio privat, vel solo ascensu ad ordines superiores: sic Diaconus sinistro oculo carens inhabilis est ad Sacerdotium; in suo tamen ordine ministrare potest.

1456. *Praenotandum III.* Irregularitas contrahitur ante omnem sententiam et etiam ob defectum vel crimen occultum; tollitur per dispensationem, non per absolutionem, secundum formulam n. 696. traditam, aut juxta Rituale Romanum sequenti modo: *Dispenso tecum super irregularitate quam incurristi propter... (additur causa) et habilem reddo, ac restituo te executioni ordinum et officiorum tuorum, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

1457. *Praenotandum IV.* Ignorantia invincibilis solius irregularitatis etiam ex delicto non excusat ab illa, juxta communiorem; quia irregularitas non est primario poena, sed inhabilitas annexa a jure ob reverentiam sacris mysteriis debitam. Pichler L. 5. tit. 37. n. 25. contra multos: ubi tamen defendit, quod is non incurrat irregularitatem, qui dubitat, an suus actus sit obnoxius irregularitati, si, post adhibitam in inquirenda veritate diligentiam, maneat dubium sive *juris*, scilicet an sit statuta irregularitas in aliquem actum, sive *facti*, scilicet an hic vel iste actus sit talis, cui annexa est irregularitas; excepto dubio facti, quo quis dubitat, an homicidium, quod certo scitur esse commissum, a se vel alio sit perpetratum, qui casus expresse excipitur c. *Significasti*, de homicid. volunt.

1458. *Praenotandum V.* Clericus irregularis licite potest obire omnia munera sacra, quae competere possunt laico, ut in Ecclesia canere, celebranti ministrare, sacramenta recipere, excepto sacramento ordinis etc.

§. 2. De irregularitate ex defectu.

1459. *Principium generale.* Novem distinguuntur species irregularitatis ex defectu, scilicet ex defectu *animae, corporis, natalium, famae, aetatis, obligationis, sacramenti, lenitatis, et libertatis.*

*Ortus, libertas, ratio, mens, corpus, et aetas,
Non bigamus, lenis, nec mala fama notet.*

1460. I. Triplex animi defectus inducit irregularitatem, scilicet *defectus usus rationis, scientiae, et fidei confirmatae*. Ob *defectum rationis* ab ordinibus arcentur 1. amentes et furiosi habitualiter ex laesione organorum, non autem ex sola causa transeunte, v. g. febre vehementi. 2. Lunatici, qui per temporum intervalla amittunt usum rationis. 3. Epileptici. 4. Energumeni seu arreptitii, qui a daemone vexantur; c. *Maritum*